

Kern 3480 (1-11)

537



DE  
D E L I R I O  
F E B R I L I

---

CONSENSU ATQVE AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM  
ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRO  
SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
LEGITIME CONSEQVENDIS

DIE XIII. SEPTEMBRIS MDCCLXXXIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT  
I. H E R Z B I N G.

---

H A L L A E  
LITTERIS FRIDER. WILHELMI HVNDTII.

BIBLIOTHECA  
HERRLII

CONSERVATORIO  
MUSICAE

OPERA  
IN REGIA THEATRICALI

SYMPHONIA  
LEONIS

PER  
J. M. B. B. B.

H. A. A.





---

## DE NATVRA DELIRII.

### §. 1.

**O**mnium in eo consentiunt obseruationes, iudicandi facultatem peruersam esse in delirante; male persentit, male componit percepta, male inde iudicat. Ratio peruersi huius iudicii videtur in cerebri mutatione morbosa consistere, vnde ideae oriuntur impressionibus a rebus externis factis non respondentes.

### §. 2.

Vtlius vero naturam et indolem cerebri huius mutationis qui exponere studet, inutilem certe suscipit laborem. Quam tunc tandem cognitum iri sperare licet, cum perceptionum externarum mutationem in cerebro, et qua lege exinde ad animum transferantur, cognouerimus. Quamdiu enim, quae ad recte sentiendum et cogitandum requiritur, cerebri dispositio nos latet: tamdiu vitiosarum perceptionum et cogitationum causam, quatenus in eo haeret, non eruemus.

### §. 3.

Huic ideo disquisitioni lubenter supersedeo, cum me lucem accensurum esse in istis tenebris, quod me  
A doctio-



doctiores incassum tentarunt, nullo modo sperare liceat. Definitionem vero delirii si cupis, poteris illud depravatatum iudicium nominare, ortum ex ideis non respondentibus externis rebus, sed internae cerebri dispositioni.

### DIFFERENTIAE DELIRII.

#### §. 4.

Distinguunt Medici delirium in chronicum et acutum. Acutum, de quo in progressu huius libelli mihi sermo erit, in continuum et non continuum iterum diuidunt. Prius phrenitidem nominant aut paraphrenitidem, quo ultimo nomine delirium minus acutum, aequae vero ut phrenitis continuum, intelligunt, alterum paraphrosynen. \*)

Causarum ratione inter se non differunt istae affectiones. Vnum eundemque morbum mox cum interrupto, mox iterum cum continuo delirio incedere obseruamus. Easdemque causas alias delirium non continuum efficientes, phrenitidem proferre, si modo pergant in sua actione, nihil est quod repugnet.

Quamuis ideo sit utilis ista distinctio, ut praesidium exinde formetur, ad determinandam tamen melam

\*) Me non fugit paraphrosynes vocem ad designandum delirium quodcumque sympathicum a quibusdam usurpata esse, attamen cum et SWIETENIUS ipse minus recte id fieri affirmet, (Comm. in aph. B. §. 771. 700.) eius viri sententiam insecutus sum.



delam nullam tradit indicationem. Hinc nulla habita  
continuitatis ratione causas delirii pertractabo, cum fa-  
cile cuique pateat, grauiorem et leuiorem morbum hoc  
sensu non esse distinguendum, nisi summam in artem  
confusionem inducere velis.

## §. 5.

Altera est delirii diuisio in idiopathicum et sym-  
pathicum. Quod adesse statuunt, si a causa quadam  
haud in cerebro existente delirium oritur, idiopathici  
vero sedem in ipso encephalo ponunt. Quod quam  
difficile sit distinctu, postea exponendi occasio erit.  
Tandem delirium, prout differt insanandi modus, ve-  
hementius aut leuius est, propriis nominibus designa-  
runt. Cuius distinctionis ratio cum ex ipsa denomina-  
tione pateat, vltiori non eger explicatione.

## §. 6.

Ad causas delirii nunc transire rerum ordo pe-  
stulat, quas quidem mentem turbare multiplici expe-  
rientia cognitum habemus, etsi vltimum, quem in ce-  
rebro proferunt, effectum nos nescire fatendum sit.  
Est vero hic tenenda SWIETENII a) summi sententia.  
„Sufficit medico nouisse a talibus in his locis haerenti-  
bus fieri posse delirium, quamuis omnino ignorer, qua  
lege hoc fiat.”

A 2

DELI-

a) Comm. in aph. B. §. 701.



## DELIRIVN INFLAMMATORIVM.

## §. 7.

Hoc nomine illud concipi volo, quod velociori sanguinis per cerebralia vasa motui, aut nimiae in istis congestioni proxime debetur. Hac via vero delirium oriri, nemo certe in dubium vocabit, qui secum reputat, quantum valeant ad mentis actiones turbandum omnia, quae circulationis velocitatem accelerant, maiori ideo copia et vi sanguinem in cerebri vasa determinant. Quae tanta est earum rerum efficacia, ut febrientes non modo leuissimo in diaeta comisso errore, quem supinus situs saepius iam praestat, insanire videas; sed et sanissimo etiam homini grauiori saltim paululum eiusmodi data ansa, idem accidere non adeo rarum sit.

Hunc eius oriendi modum vterius adhuc facilitas ad infatuandum eorum comprobat, qui viscerum quadam affectione sanguinis reditum a capite retardante affecti sunt. Videre illud est in pulmonum inflammatione, quam prae ceteris facillime sequitur delirium, ob imperfectam nempe arteriae pulmonalis euacuationem, et sanguinis in cerebro retentionem *b*). Hinc inter causas delirii meteorismum enumerat ill. *TISSOT c*). „Inde enim, dicit, respiratione impedita pulmonique loco  
 expan-

*b*) SWIETEN. Comm. in aph. B. §. 772.

*c*) de Feb. bil. p. 80.



expansionis" deficiente imperfecte euacuatur, auricula dextra turgida sanguinem cauae ascendens excipere impotens, vertebrales et iugulares euacuari praecipit."

Nec aliam certe ob causam paroxismis et exacerbationibus febrium ita exacte delirium sese adiungit, et dissipatur iterum cum istis, quam ob maiorem exinde in encephali vasa natum impetum. Hoc iamiam bene nosse videtur ill. SWIETEN *d*): „forte a sola violentiori velocitate delirant multi in febrium intermittentium vigore, inquit, atque cessat delirium in his, dum declinante paroxismo minuitur haec velocitas."

Ipsius tandem delirii facies, prodromorum ratio, perfecta eius solutio a narium haemorrhagia cerebri vasa propius exhauriente, et magna ista commoda ab iis omnibus visa, quae impetum humorum a capite auertunt et ad alias deducunt partes, aut in vniuersum circulationis turbas componunt, dubium in hac re superesse nullum finunt.

### §. 8.

Hoc modo exortum delirium inflammatorium nominari posse, ob magnam suam conuenientiam cum morbis hoc nomine distinctis, ulteriori probatione haud opus esse credo. Magnum vero illud exercet imperium. In genuinis inflammatoriis morbis indigena quasi

A 3

est.

*d*) Comm. in aph. B. l. f. c.



est. Maximam ad phrenitidem procliuitatem in iis morbis obseruari, dicit ill. SWIETEN *e*), in quibus inflammatoria diathesis manifesta quidem est, tamen non adeo pertinaciter parti cuidam inhaeret inflammatio, sed magis vaga et mobilis materies morbi videtur. Ill. SYDENHAM *f*) de febre noua monet, eam tantam ad phrenitidem procliuitatem habuisse, vt aeger iugum in lecto decubitus, quantumlibet leuissime stragulis coopertus, non sine magno suo periculo expertus sit, et vt verum fatear, tandem pergit, ita facilis erat in hoc morbo ad phrenesin lapsus, vt saepe sua sponte nulla eiusmodi data ansa illico appareret. Simili modo pleuritis epidemicae speciem vidit ill. SWIETEN *g*), cui familiare erat, vt primis iamiam diebus aegri declinarent, nisi ab initio balneis pedum, epispasticis et situ corporis erecto prospiceretur.

Non vero in iis modo morbis, qui phlogisticae sanguinis ebullitioni primarie forte debentur, quaerendum est illud delirium, quin omnibus certe proprium, si ad gradum quemdam euehantur. Vno verbo ubique illud locum inuenire scias, vbi stimulo quodam sensibilibus partibus infenso aut humorum massae immixto, sanguinis circulus nimium acceleratur.

Circa

*e*) Comm. in aph. B. l. f. c.

*f*) in sched. monit. p. 651.

*g*) Comm. in aph. B. l. f. c.



Circa febres topica quadam inflammatione coniungas, hanc sequi videtur legem, ut eo facilius ingruat, quo facilius a turbata partis integritate circulationis integritas turbatur.

Nam cum aut viuida eius sensibilitate vehementius intendatur circulatio, aut lentore et spastica eius vasorum contractione spatium circulationis valdopere imminuatur, sanguinem in cerebralibus vasis maiori copia congeri opus erit.

## §. 9.

Nec cerebri vero nec meningum inflammatio, multis medicis ita criminata, ut delirium tamquam symptoma necessarium ei adscripserint, ob gravitatem certe huius mali, quod mentis ipsius arcem turbat, inter istas sibi primum aliquid vindicat.

## §. 10.

Vtraque ista affectio visa est, cum tamen ne vnguem latum per morbi totum decursum a sana mente abfuerint aegri. MORGAGNVS *b)* caluariam mulieris, quam pulmonum infarctu laborare credebant, aperuit; nullo delirio, nulla alia capitis affectione tentata erat. „Cerebrum enarrat, si quod vnuquam aliud, vasa omnia ostendit, quae per tenuem meningem discurrunt, sanguine turgida, et sanguinis multum in iis etiam

*b)* de sed. et caus. morb. epist. XV.



etiam fuit, quae per medullarem traiciuntur substantiam. WILLISIVS *i)* saepius meninges, imo nunquam ipsius cerebri substantiam tumore phlegmonoideo obfessas se vidisse ait, nec tamen viuentes aegroti phrenesi erant affecti. „Encephalon inflammatum cum delirio obseruavi, inquit ill. STOLL *k)*, inflammatum etiam mente sana.”

Ipsius cerebri grauissima vulnera et suppurationes eius, absque praegressa quadam inflammatione haud facile cogitandas, mentis actiones non turbasse innumeris obseruationibus extra dubium positum est. HIPPOCRATES ipse monente SCHROEDERO *l)* phrenitidem nunquam capiti adscripsit. „Nullum in eius libris locum inuenio, dicit, vbi phrenitidem in encephalo esse, multo minus, vbi illam in eius inflammatione consistere pronunciaffer.”

### §. II.

Nihil ideo perperuum inesse in delirio istis affectionibus tradiro inde perspicitur. Ita non maiori iure diaphragmatis inflammationi illud concediderunt. Hanc solitariam rarius videri, nec a GALENO quidem, qui primus inflammato diaphragmate produci deliria dixit, a phreniticis non multum diuersa, alibi designatum esse

*i)* de anim. brut. Pars II. Cap. X. p. 257.

*k)* rat. med. T. III. p. 206.

*l)* diff. de sed. et ind. phr. et paraph.



esse, illust. BRENDÉL *m*) testatur. Hinc ille morbus a quibusdam plane neglectus est, et quidquid in diaphragmate post mortem mutatum inuenerunt, vaporum nexui ex aliarum partium affectione, hepatis, conuexae partis inprimis, in consensum raptō tribuerunt.

„Exuler, inquit BIANCHI *mm*) a saniori praxi medica illud paraphrenitidis nomen, quod sympathicis deliriis veluti a diaphragmatis inflammatione subortis arrogare cum GALENO fere omnes HIPPOCRATIS aetate consueuerunt. Quum reuera in mortuis ab hoc morbo numquam in transuerso septo propria inflammatio, sed semper in iecore deprehensa est.” WILLISIVS *n*) paraphrenitidis affectum vix vñquam a diaphragmatis inflammatione oriri arbitratur. Alii contra et inter istos mag. BOERHAAVIUS *o*) hunc morbum longe frequentiore quam vulgus arbitratur esse affirmant, et eum ab iis qui medicinam faciunt negligi vel plane ignorari conqueruntur *p*).

## §. 12.

Quaecunq̄ vero sit huius rei ratio remotius ad propositum nostrum pertinens et ab ill. SCHROEDE-

RO

*m*) diss. de cogn. paraphr. et febr. malign. p. 4.

*mm*) hist. hep. p. 496.

*n*) de anim. brut. p. II. cap. 10. p. 427.

*o*) Aph. §. 903.

*p*) BOERH. in S. c. l. PETRVS Sal. Diuers. de aff. part. cap. 8. p. 220.



ro' q) fatis superque exposita. Hoc tamen certe affirmare licet, saepius diaphragmatis inflammationem absque delirio obseruatam esse. „Noli credere, inquit MORGAGNVS r), cum septi transuersi vitio atque inflammatione delirium necessarie coniungi.” TRALLIANVM expressis verbis negare ab eius inflammatione vnuquam delirium fieri a SCHROEDERRO s) relatum legitur. FERNELIUS t) etiam diaphragmatis vitia non alia symptomata comitari dicit, quam quae afflictis thoracis interioribus partibus apparere solent; atque iisdem plane signis modo a doloris loco discesseris sese prodere. Tumores duros pergit diaphragmatis radici infixos nonnumquam deprehendi, qui sensim tabe laborantes consumpserunt citra vllam delirii speciem. Nec liquet, dicit ill. BRENDEL u), vnde potissimum a diaphragmatis inflammatione timeri potuerit risorium illud delirium; nisi coniectura quadam ex praecordiis dolentibus plerumque etiam aestuantibus aut introrsum reuulsis.

Nec aliter cum tendinea eius parte res sese habet, quam alii inprimis inculparunt, veterum quorundam opinionem sequentes, qui tendinibus exquisitiorem sentum et neruosam naturam tribuerunt. Illust. de

HAEN

q) diss. de infl. diaph.

r) l. f. c. epist. 7.

s) diss. f. c. p. 7.

t) vniuers. med. p. 465.

u) l. f. c. p. 3.



HAEN x) hominis acuta febre demortui diaphragma tum in musculosa sua parte multum, tum in tendinea vniuersa vehementer inflammatum inuenit, quem tamen non in morbo nec nisi sub mortem delirasse enarrat. MORGAGNVS y), „conspexi ego, inquit, tendineam etiam septi transuersi partem inflammata[m], cum vix confusa et subdelira mens extremo morbi tempore fuit.“

## §. 13.

Ex omnibus istis coniciendum esse credo: non esse delirium symptoma aliquod essentialia in inflammationibus harum partium, sed aequae arbitrarium ut in reliquis omnibus, quod abesse aut adesse potest manente tamen morbi natura eadem. Quod si vniquam diaphragmatis inflammationem saepius quam aliam sequatur delirium, praecordiorum fortasse vicinitati tribuendum est, et mutationibus in systemate bilifero per consensus ortis prae aliis ad proferendum illud efficacibus.

## §. 14.

Iam vero cum delirium inflammatorium etiam in iis morbis locum inuenire dictum sit, quorum materialis causa non in sanguinis quodam inflammatorio statu quaerenda est, cum tandem non omnia deliria oriendi modum eius agnoscant; signa omnino exponere opus erit, quibus in obuiocasu illud distinguatur.

Quam

x) rat. med. pars IX. cap. I. §. 5. cap. II. §. 7.

y) l. f. c. epist. VII.



Quam rem vero sua difficultate non carere facile perspicio.

Nam vti omnes febres non ex simplici causa semper oriuntur, sed ex compositis magis atque complicatis, et facie saepius adeo mutata apparent, vt aegre sit veram earum distinguere naturam, ita et circa phreniticas affectiones idem accidere nemo facile negabit. Saltem eiusmodi sunt plurimae in medicorum scriptis resignatae, vt non solum rapidioris sanguinis motus per encephali vasa, sed insimul biliferae officinae affectae atque systematis neruosi irritati inuenias phaenomena.

In tanto ideo phaenomenorum concursu difficile omnino erit determinare, an impetum istum humorum in cerebrum suis etsi signis sese declarantem, propiorem habeamus delirii causam, an partem modo eius constituat, aut an sit effectus alius mutationis, quae et hunc et delirium profert. Quod bene iam perspexit ill. STOLL, z) id solum videtur difficile, inquiring, vt accurate determines, vtrum vera atque inflammatoria phrenitis sit, an vero sympathica aut etiam aliunde proueniat, etsi enim in scholis medicorum huius morbi distinctionis satis exacte exponantur, eorum diagnosi penes lectos aegrotorum non raro anceps reperitur.

§. 15.

z) rat. med. T. III. p. 201.



## §. 15.

Sed eadem hac difficultate diagnosis omnium fere morborum premitur. Ita peripneumoniam videns non statim certe determinare poteris, an sanguinis phlogistica indoles, an bilis turgescencia, aut utraque culpanda sit. Ponderatis vero symptomatibus, valore eorum inter se rite perspecto, accedente caussarum occasionalium dispositionisve aegri cognitione, aliquando etiam epidemiae regnantis; tunc tandem firmum ferre poteris iudicium. Ita etiam ad distinguendum deliriorum genium, et in specie inflammatorii illius, de quo in praesentibus mihi sermo est, faciendum erit.

## §. 16.

Delirium ergo inflammatorium esse iure autumabis, sic aeger in febre ad inflammatoriam proprius accedente insaniat, si insimul haec febris modificationibus quae alias delirium proferre solent plenarie careat, saltem in maiore quodam gradu iis non instructa sit. Certior evades, aegrum si scias constitutionem iuvenilem et plethoricam alere, admisisse eum causas sanguinem exactuantes, atque medelam antiphlogisticam cum successu esse adhibitam.

Facies tandem ipsius delirii modo ad cacumen sit peruentum genium suum satis declarat. Vix non omnia phaenomena velociorem humorum motum per encephali vasa indicant. Rubent facies et oculi qui semiinflammati sunt et lumen refugientes, capitis dolor  
vehe-



vehemens adest et continuus; ad vehementiores imaginationes luxuries phantasmata adscendunt, sibi et aliis vim inferre student tales aegri; laterum et laceratorum suorum exercent robur, malum leuissima causa quae circulationem accelerat, immaniter augetur. Quae phaenomena, utpote cerebri et membranarum eius inflammationis indicantia satis exacte habere non possint \*); eo certius tamen rapidiorem per eius vasa modum insequuntur. In reliquo etiam corpore tumultus non deest, arteriarum ictus validos percipies et veloces, nisi ob nimiam plenitudinem et intercedentes spasmos suppressos, ob motus nimiam vehementiam imminuuntur fere omnes excretiones, et quae fiunt. saturatiores sunt quam in statu naturali.

Vrinae perspiciuntur ruberrimae, foeces aluinae siccissimae ex parte quasi adustae. Cum malum augetur summa siccitas in toto corpore offenditur, lingua siccissima est nigra et saepius fissa, conuulsiones sese immiscent, dysuria, tremores, et plura adhuc ex affecto systemate neruoso phaenomena.

§. 17.

Quodcumque ideo delirium, pro diuersa causarum intensitate ad descriptam faciem magis, aut minus accedens, cui bene congruunt reliquae delirii inflammationis supra enarratae determinationes; ex velociori sanguis

\*) Stoll. rat. med. T. III. p. 201.



sanguinis motu impetum facientis in cerebri vasa oriri non improbabili coniectura concludes.

## §. 18.

Remotiores eius caussae innumerae sunt et multifariae. Ad praedisponentes pertinent, plethora, corpus exercitatum, iuuenilis aetas et virilis. Huc etiam referendae sunt excretiones suppressae, mensum et haemorrhoidum retentiones, suctarum sanguinis emissionum intermissio, vno verbo omnia, quae dispositionem inflammatoriam inferunt.

Occasionem ei largiuntur febres omnes et inflammationes, ardentes biliosae exanthematicae in stadio praecipue ebullitionis; dolores atrociores, spirituosorum abusus, insolatio non minus, qua phrenitides paucis horis mortiferae saepius exoriuntur. \*) Animi etiam commotiones, ira a), terror et rel. protractae vigiliae HIPPOCRATE iam docente b), vulnera capitis, contusiones, fracturae, fugillationes, nervi semidiscissi et lacerati, exanthemata suppressa et materies critica non rite foras erumpens, cacochiliae variae, acria et venena circa praecordia collecta, spasmi et inflationes, et ne longior sum omnia eo referenda esse scias,

\*) TISSOT avis au peuple. p. 89. SWIET. l. f. c. §. 772.

a) STOLL rat. med. T. III. p. 242.

b) aph. 18, Sect. VII.



scias, quae turbulentiorem sanguinis motum et nimiam in cerebri vasis congestionem proferre valent.

§. 19.

Ne vero quisquis forsan miretur, multas inter istas causas, alia via aliaque lege quam modo exposui, ad proferendum delirium sese accingere deinceps relatum legere: eum monitum habere volo, id delirio cum aliis omnibus phaenomenis proprium esse; vt non sit vna eademque semper eius causarum agendi ratio. Ita vt varia via eundem effectum ab eadem causa oriri non adeo rarum sit.

Colluuiem lacescentem in praecordiis collectam, quia febrem mouet, delirium prolaturam esse, nemo certe negabit. Neque minus tamen alio adhuc modo haud interueniente velociori isto sanguinis per encephali vasa motu eam mentem turbare posse ex futuris non improbabile apparebit.

Quod fortasse de plurimis hic relatis causis valet. Hoc tamen nihil impedit quo minus inflammatoriam naturam, ex vna aut altera earum orto delirio tribuamus; quam primum suis phaenomenis qua tale sese declarat, quotuplex sit praeterea eius causae agendi ratio, et quam diuersa ab inflammatoria natura.

§. 20.

Petractatis iis, quae ad oriendi modum et causas huius delirii pertinent, ad prodromos et significationem eius



eius nunc accedam. Prolixiorem vero sermonem me habiturum nemo expectet, nec omnia quaerat, quae de delirio in vniuersum, speciatim autem de isto in medicorum scriptis extant praesagia, res saepius dictas, et vix non vbique inueniendas.

## §. 21.

Prodromi eius qui sint, ipsa eius natura satis declarat. Praeter generaliores omnibus communes, hoc futurum scias, si signa impetuosioris sanguinis per cerebri vasa motus praecedant. Vertigines volo, aurium tinnitus et susurrus, pulsationes iugularium et carotidum vasorum. Pariter hoc declarant praecedentes partium dolores inflammatorii leuiores, (dolor lateris non pleuriticus *c*), anginae leuior species *d*), febris etiam vehemens nondum fixata, quam ad phrenitidem procliuem esse supra ex SWIETENIO retuli. Tandem omnia phaenomena, quae faciem huius delirii describendo iam exposui.

## §. 22.

Facili negotio perspicitur, periculum, quod illud minatur, ad vehementiam eius atque continuitatem, ad morbum, qui occasionem ei praebuit, et ad concomitantia symptomata ponderandum esse.

## §. 23.

*c*) BOERH. aph. §. 771.

*d*) SYDENH. sched. monit. pag. 651.



Quod ad primum attinet, nemo certe negabit, periculosum esse delirium, vbi aegri summopere agitantur, horrificas non nisi alunt ideas, insidias ab aliis instructas timent; hinc omnium remediorum renitentes fiunt, vociferantur et magna vehementia corporis vires exercent.

Nam febris numquam non magna in tali statu magis exinde augetur, vehementius exagitantur omnia, et semper subest timor, ne cerebri quaedam immedicabilis labes exoriatur.

§. 24.

Contra vero minus exitiosum est, si suauiter et cum risu delirent, amicorum monitis obtemperent, et nihil in vniuersum suscipiant, quod circulationis turbas magis adauget, monente hoc iam HIPPOCRATE e), quae cum risu fiunt deliria tutiora, inquiente, at quae studio adhibito periculosiora.

§. 25.

Ratione continuitatis huius symptomatis, laudabile certe non est, quod a primo initio praesens aegrum semper vexat. Namque etsi vehemens illud non sit, omnem tamen arcet somnum, vires adterit, et grauem adesse stimulum indicat.

§. 26.

e) aph. §3. Sectio VII.



## §. 26.

Non ita vero damnandum est in paroxysmis et exacerbationibus intermittentium et remittentium febrim obseruandum, quod tandem crifeos tempus praecedat. Vires vitae sat validas illud indicat, naturamque ad eliminandam morbi materiem actiuam, et peracto eius negotio breui sopitum iri spem concedit.

Illud ante omnia scire oportet effatur *CELSVS f)*, interdum in accessione aegros desipere et loqui aliena, quod quidem leue non est neque incidere potest nisi in febre vehementi, non tamen aequè pestiferum, nam plerumque breue esse consuevit, leuatoque accessionis impetu protinus mens redit.

## §. 27.

Quoad morbum phrenitidem creantem, a pneumonia lethalem oriri dixit *BOERHAAVIUS g)*, et simile quid iam *HIPPOCRATEM h)* indicasse, ex pulmonum inflammatione phrenitidem malum inquitens, hic loci summus eius Commentator addidit *i)*. Quod tamen cum grano salis intelligendum esse ipse fatetur *k)*, cum certe non omne delirium in hoc morbo ita pestiferum sit.

B 2

Ab

*f)* L. III. Cap. XIII.

*g)* Aph. §. 774.

*h)* ap. 12. Sect. VII.

*i)* *SWIET.* Comm. in B. aph. in l. f. c.

*k)* l. f. c.



Ab ileo morbo iterum lethalem eam esse pronunciauit, a variolis tandem admodum malam. Aequè certe damnandum erit delirium, quod cerebri inflammationem insequitur. Si vñquam illud signis suis fatis exactè distingui possit.

Tandem in putrida et gangraenosa febre, raptis per encephali vasa putridissimis et acerrimis humoribus exortum, longe periculosissimum fore quisquis facile perspiciet.

§. 28.

Symptomata concomitantia iterum aut commoda promittunt, aut de pernìcie eius nos vltèrius instruunt.

Somnus superueniens placidus et tranquillus, qui humorum tumultum sedat, et mentis integritatem reducit, exoptatum erit symptoma. Solo isto delirantium plerosque sanescere dicit CELSVS 1).

Feliciores exitus spem etiam concedunt largiorum haemorrhagia, varicum et haemorrhoidum solutio, quae etsi in omni alio delirio sua vtilitate non careant, hic tamen imprimis laudanda sunt; vt ab aliis etiam euacuationibus, quae humorum copiam immuunt et reuulsionem a cerebro efficiunt, bona expectari

1) l. f. c. vid. HIP. aph. 2. Sect. 2.



Etari possunt, a diarrhoea scias moderata et aequabili sudore.

Iudicant phrenitidem effatur GALENIUS m), sudor bonus et praecipue si ex capite multus et calidus fluxerit, sudante simul et reliquo corpore, accidit etiam nonnumquam, ut per narium haemorrhagiam phrenitis firmiter iudicetur.

§. 29.

Mala vero phaenomena sat bene multa sunt quae non solum huic sed etiam delirio alius naturae superuenientia; conclamata esse rem aut in summo periculo versantem indicant.

Somnus quotquot fit laudabilis, si profundior est et aegrum non reficit, sed ut antea insanientem relinquit, morbi causam acutam esse indicat, profundiusque cerebro inhaerere malum, et coma consecuturum esse timere facit.

Peius adhuc erit, aegrum videndi audiendi, et quod pessimum certe loquendi facultatem amittere HIPPOCRATE n), iam docente vocis defectionem in aegris delirantibus perniciem portendere iniquente.

B 3

Con-

m) de crisi bus lib. III. Cap. III.

n) praedict. 34.



Conuulsiones sese immiscentes numquam non pessimi praesagii sunt. In popularibus fato cessisse plurimos scripsit HIPPOCRATES, quibus conuulsiones delirio sese immiscuerunt. GALENVS o), AETIUS p), alique eousque rem perduxerunt, ut neminem insanientem conuulsam sanatum umquam sese vidisse, neque qui vidisset umquam audiisse affirmauerint. Neque meliora promittunt tremores ab HIPPOCRATE q), saepius damnati, in vehementi et furiosa mentis emotione accedentes tremores exitio sunt. Tandem et reliqua phaenomena, quae in omnibus acutis finem traegodiae imponunt hic etiam locum inueniunt, nec laetiorum certe euentum promittunt.

### DELIRIVM EX PRAECORDIIS.

#### §. 30.

Praecordiorum nomine ad mentem SWIETENII r), spatium illud, intellectum habere volo, quod inter diaphragma et planum perpendiculare circa finem eius, in lumbis erectum et abdomen bifariam sic diuidens concipi potest. Adeoque praecordia complectuntur cardiacam dictam, hypochondria, epigastrium.

Hinc

o) meth. med. L. 12.

p) libror. med. L. s. c. 11.

q) coac. praen. 93. praed. 14

r) comm. in aph. B. §. 701.



Hinc promanare infatuandi causam, iam bene nouit HIPPOCRATES, tot futuri delirii signa ex hypochondriis obseruanda communicans, et expressis verbis alibi docens, phrenitidem fieri a bile quando commota ad viscera et septum transuersum refedit *s*). Hoc itidem GALENVS perspexit. Quibusdam deliria fieri inquit, ob stomachum imbecillum consentiente principio quod in cerebro et neruis est *t*); sequiores etiam hippocraticae artis antistites, delirium ex hypochondriis oriundum, ab altero illo cuius causam in cerebri quodam vitio posuerunt, diuersum esse docuerunt. AEGINETTA primum inter istos fuisse illust. BRENDEL *u*) enarrat, qui proprio nomine illud distinxit, phrenitidemque appellari noluit saltemque paraphrosy-nen, ob deliria fortasse minus furiosa quae hac via exoriri solent.

## §. 31.

Inter neotericos paucos illud negantes inuenies, et vt aliorum sententias praeteream SWIETENII *v*), summi verba adducere sat erit. „Monitus ab optimo praeceptore, frequentem satis delirii in febribus causam esse sordes circa praecordia collectas, postea attentus huic rei saepius hoc verissimum esse vidi, et vnico vom-

*s*) de affect. Cap. III. p. 682.

*t*) de sympt. caus. Lib. I. Cap. VII. p. 60.

*u*) diss. de cog. paraphrenit. et febr. malign. p. 4.

*v*) Comm. in aph. B. l. f. c.



vomitório data excussa hac saburra, recordor plures illico resipuisse.

Quin eousque rem multi perduxerunt, ut omne delirium praecordiis adscribere non dubitarint. Quod vero effatum ni fallor omni exceptione maius habendum non est.

§. 32.

Innumera iterum sunt quae hic haerentia mentis actionum integritatem turbare valent.

Systematis biliferi vitia id imprimis praestare, in genere vero humorum corruptiones in digestionis organo primario ortas, aut ex secundis viis ibi translatas, sectiones edocuerunt.

Venena tandem varia, cruda ingesta vi febris mutata et prava inquinata qualitate, ipsorum viscerum multifariae labe, abscessus purulenti, facies discolores liuores imprimis, ac aliarum partium vitia, quae systema portarum amplectuntur saepius offensa sunt x).

§. 33.

Ex prioris delirii causis huc multae iterum pertinent: ira moeror crapula, vermes intestinales y),  
 atque

x) SCHROED. diss. f. c.

y) vid. Neue Beiträge zur Natur- und Arzneiwissenschaft.  
 P. 27.



atque animi affectiones. Et ne diutius, quam par est in enarratione ista morer, eum qui plures scire cupit phrenitidum historias perlegere volo, eaque conferre, quae de sectionibus hoc morbo demortuorum scripta sunt, et stupendum eius caussarum numerum, quae ex imo ventre oriuntur miraturum esse certus sum.

## §. - 34.

Facile exinde perspicitur morbos fore non paucos, quidus delirium illud sese accingit, et nullam sane umquam ab eo immunem manere, omni iure affirmare poteris; modo cogites omnibus aequae proprium esse, ut viscera digestionis magis aut minus debilitando, sordium collectioni et viscerum variis deprauationibus ansam praebent.

Hoc iamiam perspexit ill. BRENDEL *yy*), tanto ideo feruore feriores euacuantiam usum in acutis commendat, bene nempe sciens, in morbis etsi a gastrica indole longe remotis spem tamen minime concedi, fore, ut ad finem vsque digestionis organa ab omni vitio immunia maneant.

Quin imo post grauiore cerebri laesiones aliquando obseruandum delirium ex praecordiis potius, quam ex ipsius cerebri quodam idiopathico malo oriri, non iniusta hypothese affirmatur. Saltem id non obscure suadent, mutationes hac occasione in praecordiis obser-

*yy*) diss. de ferior. euacuant. vsu.



feruandae ab HIPPOCRATE z), ipso non neglectae, et maiora commoda ad sedandum illud ab euacuantibus remediis saepius visa, quam ab omni alia capiti applicata medela.

Memorabilem obseruationem, quae id ulterius probat ab ill. SCHROEDERO refert RAHN a). Vocabatur nempe vir ille ad militem, qui non leuem in caput ictum acceperat, iamque ob deliria et reliqua grauiora phaenomena, omnia ad terebrationem parari iubebat, antea vero cum aluum obstructam esse audiret, maiores cathartici falsis doses propinabat, et ecce! soluta aluo et frequentibus deiectionibus infecutis, delirium statim cessabat et aeger sine trepanatione sanatus est.

Exinde etiam perspicitur, (quod vtut extra locum, hic tamen monere non superfluum erit,) quam arduum sit verum delirii genium determinare, an nempe idiopathicum sit nec ne? Quaecumque enim cerebri topicam mutationem indicantia exponas, (certiora tamen quam in nostro casu certe nulla,) nihil aliud tamen inde insequitur, quam quod occasione mutatae cuiusdam conditionis cerebri delirium adsit; an vero exinde primarie oriatur, aut effectus sit alius mutationis, quam cerebri laesio in corpore protulit, vt e dictis patet, in medio ponendum est.

§. 35.

z) aph. 50. Sect. VI.

a) diss. mer. cap. inter et visc. abd. Commerc. p. 100.



## §. 35.

Quoad faciem non longe a priori differt illud delirium. Quod vero ut distinguas, signa fordium in mentem reuocare opus est, et latentium omnino, namque interdum auctores eius non ita clariter sese declarant, et clanculum potius suo perfunguntur officio.

Febris per vices remittens certis dimensisque temporibus reuertens iterum, sapor quem sentit aegrotans, linguae excretorum conditio ut et totius aegri habitus hic te instruunt, neque minoris momenti sunt hippocraticae praenotiones ex praecordiis desumendae. Ratio tandem eorum phaenomenorum habenda est, quae velociorem sanguinis per encephali vasa motum forte in culpa esse credere facerent, iuuantium et nocentium cognitionem addas, et ex simulcomparatis omnibus feras iudicium.

Fateamur tamen eum esse magistrum in arte nostra sublimiori loco constituendum, qui bene hunc noscit distinguere statum, exercitatisimos omnino fallit, et an ad phlebotomum, aut ad emeto catharsin mouens pharmacum confugiant dubitantes relinquit. Hic ideo valet STOLLII *b)* illud assertum, facultas quaedam vel occultissima dignoscendi vsu comparanda verbis non describenda medentem melius instruit, quam scholarum praecepta.

## §. 36.

*b)* rat. med. T. III. p. 203.



## §. 36.

Quod si vero nunc oriendi modum huius delirii exponere aggrediar, monendum est iterum, nolle me id explicare quomodo sensilis ventriculi fabricae mutatio mentem turbare valeat; sed quid experientia de hac re docuerit ingenuo animo exponam.

## §. 37.

Ex parte eum ipsius circulationis exasperatione intelligimus, quam primarum viarum colluuiis accendit. Non vero in ea omnem eius existentiae rationem quaerendam esse plura certe suadent.

Longe namque citius multa agunt in praecordiis nidulantia, quam quod commemorata agendi ratio veritati respondere queat. Venena inprimis atque narcotica \*). Nonnumquam congestiones istae et circulationis turbae non ita luculentes adsunt, nec ideo iusto crimine culpari possunt. Et etsi adsint multo verosimilius tamen ipsius stimuli delirium proferentis effectus habentur, quam huius causae. Sanguinis namque detractio hic ne minimum commodi profert quin nocet potius, quae tamen certe conduceret si modo orgasmus ille in culpa esset.

## §. 38.

Et certe hoc si statuas, eximiam emeticorum efficaciam quorum vi reuulsoriae parum ni fallor tribues, in  
cu-

\*) TRALLES vsus opii, Sect. I. Cap. V. p. 256.



curatione huius delirii haud exacte intelligi potest. Propria obseruatione edoctus sum, longe aliter quam sanguinis circulum per cerebri vasa promouendo, primarum viarum cacochiliam delirium excitasse. Iuuenem vidi febre a genuina inflammatoria haud longe absente aegrotantem, nullo tamen delirio nulla alia capitis affectione tentari, quam diu aluus libera seruabatur. Quem vero versus noctem delirantem vix non semper inueni, haud notabiliore in pulsû celeritate praeter eam, quae febris exacerbationi a primo initio propria erat, quam primum pusillanimo metu remediorum usum interdum negligeret, mox tamen iterum resipientem cum vno et altero enemate aliisque congruis pharmacis alui fluor restitueretur.

## §. 39.

Et quis non perspiciet propiori lege ortum esse illud delirium? Sanguinis celeritas si ad pulsus celeritatem eam dimetiatis nihil aucta fuit, ea ideo certe culpari non potuit. Vnde ergo iure concludendum esse credo, aliam esse ortus rationem eius delirii, quod ex praecordiis originem trahit, non in velociori isto per vasa cerebralium circulo ponendam, qui ad summum partem rationis eius existentiae sibi vindicat, aut effectus potius habendus est ex ipso delirio ortus.

## §. 40.

Hucusque negatiue de modo quo oritur illud differui. In quantum nempe a priori differt, praeeunte experien-



rientia exponere operam dedi, vnde etiam perspectum iri confido, cur noua exinde constituenda erat species.

Cum vero omnino positivae aliquid dicere opus sit aliorum referre asserta sat erit.

§. 41.

Alii nervorum consensum abdominalia viscera inter et caput inculcant, spasticoue modo illud oriri arbitrantur *c)*. Magna ista affinitas, quae inter spasmodum et deliriorum varia genera intercedit, quorum haec vicibus alternis in illa transmutantur, iis argumentum praebet. Praeterea a tremore succedente delirio cessante, et ab eximia antispasticorum efficacia iusto tempore in phrenitide si adhibeantur, non leues deducunt rationes. HIPPOCRATEM etiam sua in re consentientem habere dicunt, Aretaeum et alios artis antistites multos, mentionem spasticae affectionis saepius iniicientes cum de phrenitide loquuntur *d)*.

§. 42.

Aliis iterum haud a veritate absimile videtur partem infatuantis materiei ad ipsum encephalon transferri, erysipelatis et saburralis ophthalmiae laudant exempla,

*c)* vid. SCHROED. de sed. et ind. phrenit. et paraph. et BRENDEL diff. de phr.

*d)* diff. SCHROED. f. c. p. 35.



pla, quae ipso adspectu docent alienam materiem esse aegrotanti loco infixam e).

§. 43.

Et certe non a vero alienum erit credere, illud interdum (quodquod fit quod delirium excitat,) massae humorum circulantium immixtum esse, et lege circulationis ad cerebrum translatum, irritatione quam profert mentem turbare, etsi nullibi firmiter adhaereat. Analogia chronicorum deliriorum a sanioribus medicis omnibus succo melancholico tributa, hoc saltem non obscure suadet. Fortasse verisimilitatis aliquid huic sententiae illud BALLONII f) addit. Saepe capita hominum morbo capitis demortuorum aperta sunt dicit, in quibus nil commemorabile repertum est, quod mortem intentasset, et cum alioquin medicus abscessum aut simile quid repertum iri pronunciaffet, spem augurantium ipsa inspectio fefellit, ac si cum ipsa anima mortis causa euolasset. Fortasse hanc ob causam vestigium dementantis materiei et ibi et in aliis corporis partibus saepe nullum inuenimus, quia prius cancellis plenarie caret, et in systemate vasorum circulantium circumlata suam exferit actionem.

Nec omni modo sua auctoritate desitutum est illud assertum. Nonnulli quoque in nobis generantur mali

e) Stoll. rat. med. T. III. p. 195.

f) Consil. med. Lib. III. n. 71. p. 339.



mali humores dicit de GORTER *g*), qui sanguini mixti mentem turbant, et simile quid etiam ill. SWIETEN *b*), vix enim obseruatur insignis quaedam humorum corruptio effatur, quin simul actionum encephali turbatio appareat.

## §. 44.

Qua tamen in opinione eo minus me errare dolebo, quo magis cognitum est propiorem eorum morborum rationem qui consensui vulgo tribuuntur, ad pia medicorum desideria adhuc pertinere. Secundum veritatem certe effatur ill. SCHROEDER *i*); „Forſan cauſſa phrenitidis neque ea ſemper eſt, cuius poſt mortem veſtigia in deprauato ſolidorum colore forma et vniuerſo habitu expreſſa videntur, quamuis durante morbo eam praecordia obſediſſe ſymptomata maniſteſtiſſime declarauerint.

## §. 45.

Quousque vero haec res explicationem poſcit. Certe tamen affirmare licet, occaſione ſordium in praecordii collectarum, et innumerarum aliarum mutationum excitari delirium. Analogia tot morborum, quin ipſarum apoplecticarum febrium, vix non ſemper ex primis viis natales ducentium, vt ipſa ſanationis ratio id ita demonſtrant, vt nullum dubium ſuperſeſſe credam.

## §. 46.

*g*) med. dog. Cap. I. §. XLV.

*b*) Comm. in Ap. B. §. 774.

*i*) diſſ. f. c. p. 35.





## §. 46.

Prodromos huius delirii eosdem fore, quos antea inflammatorium praefagire dictum est, nemo certe dubitabit, qui causas viriusque saepe saepius inter se complicari non nescit, et rarius videri delirium, ex praecordiis etsi ortum, cui non velocior accedat per cerebri vasa motus, ut causae pars aut ut effectus eius.

Circa prognosin ideo eadem versantur cautelae quas in priori proposui. Namque eadem erit ratio delirii furiosi, continui et in consortio periculorum phaenomenorum apparentis, ad periculum praefagendum; eadem iterum suavioris interrupti, et leuioribus symptomatibus sese adiungentis, ut laetior exinde expectetur euentus; quotquot sint praeterea cuiusuis causae diuersae.

Quaedam igitur specialiora saltim quae huic priua esse videntur monenda veniunt; a prodromis incipiendum.

## §. 47.

Sunt ea, in ventrem cubare cui alias non assuetum est etiam sano sic decumbere, quod delirium aut dolorem locorum circa ventrem praefagire dicit HIPPOCRATES *k*).

Hypo-

*k*) in prog. p. 603.



Hypochondria pulsantia *l*) (inflata dolentia introrsum reuulsa dura,) cum frequenti oculorum obtutu *m*).

Vrinae diuersimode conturbatae tenues pallidae, iumentosae instar *n*).

Faecum itidem praua conditio, rubrae limosae *o*). Vomitus varii *p*), vno verbo omnia, quae aliena corrupta materię praecordia scaterere indicant, eamque (si hac liceat vti phrasi) sursum ad encephalon ferri.

Boni exitus spem faciunt, deiectiones biliosae multae cum aegri alleuatione, et in consortio bonorum symptomatum *q*).

Contra vero summopere periculosum et pestiferum id malum esse denunciant, spumosae efflorescentiae in biliosis et sinceris deiectionibus *r*), vomitus aeruginosi nigri anxiosi *s*), tremores, distensio neruorum, et reliqua iam supra damnata phaenomena.

DELI-

*l*) in prog. p. 611.

*m*) KLEIN inter. clin. p. 230.

*n*) RAHN mir. cap. int. et visc. abd. commerc. p. 8.

*o*) Coac. praen. n. 465.

*p*) praedict. l. 1. n. 10.

*q*) ELLER de cog. et cur. morb. p. 161 - 165.

*r*) praedict. n. 21. l. 1.

*s*) ibid. n. 17.



## DELIRIVM NERVOSVM.

§. 48.

Neruoſi morbi notio non vna eſt inter medicos recepta, nempe non ad vnum morboſum ſtatum deſignandum.

Primo cum neruoſum nominant, cui functiones perturbatae a ſyſtemate neruoſo proxime pendent ſeſe adiungunt. Ita ſenſilitatis omnes morbos et totam ſpaſticorum familiam hoc nomine deſignunt, et aequo certe iure omni delirio illud congruit, cum factis notum ſit, non minima ad ſenſuum actiones neruos conferre.

Non autem ea eſt ratio, qua delirium illud neruoſum nominavi. Sed ſubest alia neruoſi ſtatus ratio, quae facilius negativae quam affirmativae deſcribitur, ut ſecundum veritatem monuit ill. SELLE 1).

Hoc qui tentarunt non niſi pugnancia protulerunt, alter cerebri aut cerebelli vitium inculpavit, cum alteri contra haud abſimile videretur, tenuiorum humorum corruptionem ſubefſe. Aut effectus morbi cum cauſis eius confuderunt, et in uniuerſum clariter teſtati ſunt perpauca eſſe, quae de neruorum natura illorumque functionibus nobis pateant, perpauca ideo et per coniecturam

C 2

iecturam

t) pyret. p. 267.



Eturam non nisi de morboſis eorundem mutationibus poſitiue nos affirmare poſſe u).

Ea vero notione vtuntur medici ad diſtinguendum morbum, qui in phaenomenis ſuis aliis morbis non ita reſponder, vt conſuetis ac manifeſtis eorum cauſſis tribui poſſit, cui tandem inprimis fauet ſyſtematis neruoſi ſumma ſenſilitas, atque ea congruit medela, quae huic proſpicit. Vnde etiam concluderunt rationem eius exiſtentiae non eſſe in occasionalibus ſuis cauſſis quaerendam v), quae ſaepeius nullae ſunt, ſaltem non tales vt perceptibili reſpondeant effectui, ſed quoad maximam partem ſyſtematis neruoſi huic ſenſilitati tribuendam eſſe, quae accedente quadam occasione leuiori ſemper quam alias ad proferendum eundem effectum requiritur, in morbum erumpit, natura ac facie ſua ab onanibus aliis morbis adeo diſſimilem vv).

§. 49.

Ita neruoſi delirii ideam intellectam habere volo. Quam ei conuenire concedere opus erit, quam primum exiſtentiae ſuae rationem non eſſe in ſuetis huiusque cognitis deliriorum cauſſis poſitam demonſtrauero.

Hunc vero genium prae ſe ferre delirium illud, quod in neruoſis morbis, putridis, aut a contagio or-  
tis

u) BALDING. epit. neurol. p. 17.

v) GREGORII Anfangsg. der Behandl. fieberh. Krankheiten.  
p. 50.

vv) Selle pyret. p. 261.



tis obseruamus, quod tandem in fine vix non omnium acutorum solemne est, verisimillimum videtur.

Absunt hic vitii circa praecordia, aut sanguinis velocioris per cerebralialia vasa motus apertiora omnia indicia, et etsi adsint, iniuste tamen proprioires delirii causae nominantur, quod quoad phaenomena sua iis non ita responderet, vt alias docente experientia respondere debuisset  $\kappa$ ). Nam nec facies eius eadem est, quam aliud hac via exortum delirium possidet, nec antiphlogistica aut antigastrica medela ita exacte ei conuenit, vt iis sublata causa vna et illud cedat.

Vterius vero naturam eius diiudicamus, ex phaenomenorum obseruatione, atque aptiori ei medendi methodo. Cognitum namque est ea imprimis illud proferre, quae corpus debilitando systematis neruosi integritatem frangunt. Hoc consuetarium ex innumerarum obseruationum sylloge deduxit ill. PRINGLE  $y$ ), quas ei de febre carcerali habere contigit.

C 3

Vidit

- $\kappa$ ) SAUVAG. nosol. meth. tom. I. class. III. p. 462.  
 de GORTER prax. med. syst. tom. I. p. 141.  
 SWIETEN. Comm. in aph. BOERH. §. 702.  
 Pringle von den Krankheiten einer Armees. p. 344.  
 de MEYSEREY maladies des armées. tom. II. art. 249.  
 HUXHAM Op. phil. med. tom. II. Cap. VII. p. 78.
- $y$ ) von den Krankheiten einer Armees. p. 368.



Vidit namque non solum illud auctum esse sanguinis euacuatione quacunque, sed morbum hac methodo tractatum stadium inflammatorum, quod alias percurrere solebat plane praeterire, et aegrum a statu sano haud longe absentem in delirium incidere.

Aequè certum tandem est, ea prae aliis delirio isti conuenire, quae languenti vi vitali prospiciunt. Hinc methodum cardiacam omnes laudant, qui huius obseruationes communicarunt.

Largam vini copiam in febre nervosa concedendam esse suadet ill. MACBRIDE *z*), et sensus actiones inde liberari dicit, idem obseruauit ill. PRINGLE *a*), et delirium ab omnibus imminui asseuerat, quae uiuidiorem reddunt pulsum vigoremque eius augent. Nec aliter sentit BOERHAAVI ill. Commentator *b*), qui longe aliam delirii rationem esse inquit, longeque aliam requirere medelam illud, in fine morborum acutorum exhausto valetudine aegro obseruandum, quam quod velociori sanguinis motui et inflammatoriae eius spissitudini debetur. Eandem etiam fouet sententiam illust. SAUVAGE *c*) de phrenitide inanitorum ab eo dicta.

Iam

*z*) intr. in theo. et prax. med. t. II. p. 25.

*a*) l. f. c. p. 344.

*b*) Comm. in aph. B. l. f. c.

*c*) nosol. meth. l. f. c.



Iam igitur cum e dictis pateat, naturam huius delirii cum sanguinis velociore per cerebri vasa motu, aut praecordiorum vitii cuiusdam efficacia conciliari non posse, cum tandem et occasiones eius, et locus quem tenet atque congrua sanatio, systema nervosum imprimis affici satis declarent; non iniusta hypothesi nervosam huic tribuendam esse naturam affirmari posse credo.

Namque existentiae eius rationem nisi in systematis nervosi hacce debilitate, omnium eiusmodi morborum creatrice ponamus; summis difficultatibus haud facile extricandis pressam esse nemo non perspiciet. Ita leue namque explicatu non est, (quod iamiam miratur ill. SCHRÖEDER *d*),) quomodo duabus oppositis ex causis, violentiori nimirum sanguinis motu, et iuxta hunc vasorum sanguineorum depletionem delirium oriri possit, et aequè arduum certe est cardiacorum efficaciam cum cognitis delirii causis conciliare, hanc si nolis eius statuere naturam,

§. 50.

Huic vero asserto non repugnat, quod vitando aut agendo multa, quae remotius systemati nervoso prospiciunt, proclivitatem eius praecavere, aut ad sanandum illud conferre valeamus. Ita primarum viarum evacuantia certe profunt, et nullus dubito occa-

siona-

*d*, *diff. f. c.* p. 37.



sionales huius delirii causas saepe saepius alienatos in praecordiis haerentes humores sistere. Neque minus tamen materialis eius causa haberi non possunt, cum in eorum expurgatione cardo curationis minime versetur, ut illud notavit ill. SELLE e).

Et si reuera ita est, ut expurgatis istis vna cedat delirium, non est amplius ad nervosa referendum, sed pertinet ad ea, quae ex praecordiis oriri antea dictum est.

§. 51.

• Neque ita me intelligi volo, ut mentis alienationem quaecumque in supra nominatis morbis nervosam originem agnoscere vellem.

Antea putridam acrimoniam quia humores exagitat, et sanguinis circulum in cerebri vasa determinat inflammatorium delirium excitare proposui, quod et hic verum esse iterum dico.

Sed est stadium omnium eorum morborum, quo propius a nervosi morbi natura absunt, et tunc tandem omni delirio eandem naturam tribuere par erit, quod et facie sua et reliquis determinationibus qua tale sese declarat.

§. 52.

e) pyret. p. 270.



## §. 52.

Hac ex tribu phrenitis et paraphrenitis saepius sunt, aut ut rem exactius exprimam, naturam nervosae acutae febris prae se ferunt.

Hanc iamiam fouit sententiam ill. BRENDEL *f*), qui paraphrenitidem cum malignis febribus comparando summam earum cognationem exposuit. Qua vero malignitatis notione saniori sensu accepta, *morbum magnum potestateque grauem intelligit specie uero leuem et qui criseos tempora certa non habet*, sat ideo nervosae febrim similem affectionem *g*).

## §. 53.

Qui uero utriusque morbi phaenomena animo peruoluit, summam eorum similitudinem ulterius perspiciet. Virique namque proprium est leuibus et non raro e longinquo insidiosis initiis aegrum aggredi. Animi uirium deiectionem primis iamiam diebus admodum magnam inducere. Calorem excitare uagum et fugacem algoribus ac tremore intermixtum. Pulsus habere summopere inconstantem debilem quidem, sed naturalem celeritatem saepius uix superantem. Affectiones spasticas faucium et respirationi interuentium musculorum proferre, quae non raro peripneumoniam  
aemu-

*f*) diss. de cogn. paraphr. et febr. malign.

*g*) vid. eius diss. de part. febr. opusc. part. II. p. 172.



aemulantur. Crisim perfectam vix unquam admittere. Aegros tremore concuti, linguam imprimis tremere, et erigere non posse, quod infecuturi delirii certissimum praesagium habetur. Delirium aequae in utroque fat simile inuenies, numquam ad eam alius fueram vehementiam peruenit, sed mentis actionum perturbatio potius esse videtur, sibi metipsis aegri obmurmurant, et inter verba deripiunt, intelligunt quidem omnia, quae proponuntur, et interrogati respondent, sed mox in obmurmurationem et somniculosum recidunt statum. Exacerbationum ratio iterum eadem est, atque in neutro desunt phaenomena valerudinem ex praecordiis indicantia. Er praeter ea innumera certe alia inueniet febris nervosae et phrenitidis aequae propria, quae prioris specimina, cum descriptione huius ab ill. BRENDELIO *b)* tradita componere vult.

## §. 54.

Neque parum verisimilitatis huic opinioni ex aptiori phrenitidis medendi methodo exoritur.

Notum namque est exiguum esse a sanguinis missione leuamen expectandum testante hoc iam ARETAEO *i)*, „venae incisor monet, ne multum sanguinis detrahat licet a principio fecerit, namque phreniticis „malum est in syncopen facile mutabile.”

Quin

*b)* diss. de phren.

*i)* de cur. acut. p. 73.



Quin imo BRENDELIVS *k*) ipse maximopere euacuantibus remediis fauens praeterea tamen eius curationem ea adhuc requirere dicit, quae malignis febribus congruunt.

Neque silentio etiam ill. SELLI *l*), auctoritatem praeterire possum, qui phrenitidem nervosis febribus adnumeravit.

§. 55.

Eadem nervosa natura et ei etiam delirio tribuenda est, quod post acutas febres euacuantibus imprimis incongrue tractatas, ad multum tempus saepius protrahitur, etsi nihil in corpore insit mutatum, quod exacte eius causa nominari possit.

Lingua vulgo nitida est, sapor nullus in ore praeuus, pulsus mollis est ac debilis, calor nativus non maior, nec alvina excreta insolitum quemdam spargunt odorem, et quidquid aliorum symptomatum subest virium summam iacturam redolet *m*).

Communicavit eiusmodi observationem illust. STOLL *n*), et ingenuo animo se nescire fatetur, an nervinis pharmacis a se adhibitis, aut naturae beneficio

*k*) diss. f. c. p. 33.

*l*) pyret. p. 273.

*m*) SAUVAG. nosol. meth. I. f. c.

*n*) rat. med. T. III. p. 181.



cio contigerit sanatio. Multi etiam alii huius mentionem fecerunt, qui vero omnes conueniunt, hic ea imprimis bona praestare, quae vim vitalem excitant, et resistentiam eius in morbificas causas augent. Quae etsi potestate valde debiles sint in fracta tamen eiusmodi dispositione sua efficacia non carent. Non ergo opus erit, vt delirii huius rationem reddamus, eum BOERHAAVII summo Commentatore o), ad superstitem quamdam cerebri inflammationem confugere, quae nec signis suis satis exacte sese prodit, nec vlllo modo congruae huic sanationi responderet.

## §. 56.

Caussarum vltiori enumeratione vix opus esse credo, satis namque perspectum iri confido, quamcumque ex supra enumeratis eiusmodi delirium proferre, modo in fractam agat dispositionem; debilitata nempe summopere ac languente vi vitali praesente. Ita vero rem sese habere verisimillimum est, vbi post largiores sanguinis euacuationes mensium et lochiorum profluvia, morbos oeconomiam humanam valde debilitantes, moerores et alia animi pathemata, delirium oriri, illudque sensibilibus hominibus imprimis infestum esse obseruamus.

## §. 57.

a) Comm. in aph. B. §. 774



## §. 57.

Diagnosin huius delirii iterum, concomitantia phaenomena locus quem tenet, et sanationis ratio ulterius absoluunt.

Nam etsi facies eius non semper eadem offendatur, et saepius nullum non insimul corporis fractum negotium inueniatur, aegre ideo fit verum eius ortum aestimare. (Quod fortasse plures mouit sub hybrida malignitatis denominatione illud designare, vt ex phrenitidis descriptionibus passim in medicorum scriptis inueniendis clariter apparet) In eorum tamen phaenomenorum consortio vix non semper adest, quae fractum esse oeconomiae vigorem et languere naturae cooperationem testantur.

Tremores linguae, dolor aliquis obtusus et frigoris sensus in parte capitis posteriori, carpi mollior pulsus cum carotidum pulsatione, fugitiui aestus perfrigerationibus excepti, limpidae et non subsidentes vrinae, et quae plura sunt systema neruosum non integrum esse indicantia hoc vulgo praecedunt.

## §. 58.

Quod ad praesagium exinde desumendum attinet, numquam non periculosum praesagire statum hic saltem moneo. Namque naturam viribus carere, et neruosi systematis functiones summopere affectas esse significat, hinc vix non semper incertum fatum promittit.



tit. Cum omnia certe symptomata, etiamfi adeo gra-  
uia ac lethalia non sint, talia tamen fiant; si cum vi-  
rium imbecillitate coniungantur. Specialioria vero  
praesagia, et ea quae feliciter exitum sperare sinunt  
quae sint; ex iis de aliis deliriis supra expositis moni-  
tis facile colligi possunt.

### THERAPIA DELIRII.

#### §. 59.

Non incongrue delirii curationem in palliativam  
et radicalem medici diuidunt. Prior nulla habita caus-  
arum ratione mentem componere studet, cum altera  
contra ad eas non nisi respiciat, et in earum ablatione  
omnem ponat operam.

Longe hanc priori praestantiorum esse, quisquis  
sanioribus artis medicae principiis imbutus facile con-  
cedet. Neque minus tamen et ista suo bono non ca-  
ret, modo in promptu habeat medicus BONETTI *p*)  
illud assertum. „Caue ne inter ramorum excisionem  
crescat truncus.” Namque eo magis conuenit, omnia  
in opem vocare, quae efferam mentis alienationem se-  
dare valent, ad tempus etsi et palliativae non nisi; quo  
magis et ipsa propria sua natura eorum usum prohi-  
bet, quae radicalem peragere valent medicationem.

Qui

*p*) theat. tabid. de usu perd. exerc. 27.



Qui femel modo furentem alta voce clamantem, et taurino musculorum robore corporis vires exercentem vidit; non esse tunc aptum remediis locum, quae malum funditus eradicare valent, concessurum esse credo. Hinc CELSVS *q*) remedia adhibere, vbi maxime furor vrget superuacaneum esse dicit, et illust. SWIETEN *r*), periti medici esse ait, futurum delirium in suis incunabilis adhuc delitescens agnoscere, et omnem curam adhibere, vt in primo quasi limine curetur.

Sed alia praeterea subest ratio, cur palliativa medicatio laudanda sit. Ob animi namque validiores affectiones, et corporis motus vehementiores simul cum delirio praesentes tamquam caussa illud nocet. Circulationem vehementius exagitat, bilis acrimoniam acuit fluidiora expellit, spissiora figit, hinc statum nunquam non periculosum periculosiorem adhuc reddit.

## §. 60.

In vniuersum vero illud veluti canon a quo nunquam desectendum tenendum est. Nihil moliendum esse ad sedandum delirium, quod caussa eius auersatur. Etsi igitur, quae palliativa medicatio admittit hanc haud exacte auferant, ei tamen contraria esse certe non debent.

## §. 61.

*q*) l. 3. Cap. 18.

*r*) Comm. in aph. B. §. 702.



## §. 61.

Inter adminicula vero eius, summum locum illud certe meretur consilium, ut pro animo delirantium nos geramus. Quantum valeat illud, ut mens iterum restituatur, vtilia praebet historia medica exempla. Legitur in actis parisiensibus s) musici cuiusdam historia vehementer febrientis et pessime delirantis, qui, ut coram eo concentum musicum instituerent, voluit. Aegre concessit medicus, quo vero facto, statim ad se redibat aeger illacrymabatur praee gaudio, atque talem se persentire aiebat delectationem qualem antea numquam persensit; omnis aberat febris quamdiu harmonia durabat, illaque cessante redibant statim omnia mala. Repetierunt saepius mirum illud remedium, et idem semper sequebatur successus; cessabat nempe et delirium et febris.

Similem observationem illi STOLL t) communicavit, nobilis alicuius militari phrenitica febre aegrotantis, qui cum poetarum lectionem amaret, respuit illico cum adstantium quidam KLOPSTORIUM nominaret. Tandiu integerrima mente usus, quamdiu de sublimi carmine huius poetae fermocinaretur, sermone vero hoc dimisso mens toto coelo aberat, toties iterum reuocanda, quoties carmen illud quis recitabat.

## §. 62.

s) memoires de l'acad. des Sciences de l'an 1707. p. 8.

t) rat. med. T. III. p. 242.



## §. 62.

Videntur nouae eiusmodi ideae delere cerebri morbolam istam dispositionem, delirii propiorem causam; inprimis iis si affluctus sit aeger, atque gratum aliquid sibi iunctum habeant, aut in insolitis plane atque nouis impressionibus eius animum occupent.

Ita ad sanam mentem delirantem redire vidit ill. SWIETEN *u)*, cum vicina domus deflagraret. Qui enim haecenus incondita quaeuis noctes diesque effutiuerat, subito rogabat adstantes, quid ageretur foras, atque audiens incendium in vicinia esse terrebatur tumopere, sed simul mox resipuit neque delirauit amplius.

Percipit namque rerum externarum impressiones delirans aequae ac ille qui mente constat, etsi ad modulum suum istas fingat. Vnde ad eius commoda cautellae bene multae diduci possunt. Vitanda ideo sunt omnia, quae vanas imagines et inconditas ideas excitare valent, blandisque sermonibus ab iis deducendus est. Studendum est etiam, ut talia ei offerantur, quae mentem magis figunt et euagari iterum non sinunt. Hinc in tenebris et ab omni strepitu remotum delirantem haberi antiqui voluerunt *v)*. Hinc illust. SWIETEN *vv)* conducere dicit, leuem et perennem excitare sonum,

*u)* Comm. in Ap. B. §. 701.

*v)* Cels. lib. III. C. 18.

*vv)* Comm. in aph. B. §. 702.



sonum, in locis ubi ille decumbit, ut aquae ex alto guttatim in aeneam peluim cadentis.

Eo enim auertitur animus a nugis suis et placidioribus imaginibus occupatur, quae non sibi iunctum habent ingratum illud delirantibus imprimis inferum. Aduersus omnium animos gerere se pro cuiuscumque natura summopere necesse est, ut praecipit CELSVSX). Quorundam vani metus leuandi sunt, quorundam audacia coercenda, quorundam discutiendae sunt tristes cogitationes.

In vniuersum vero nisi aliis impressionibus suis validioribus conuinci, et ad sanio rem mentem reduci possint, amica persuasione potius quam feueriori regimine detinendi sunt, ne sibi et aliis noceant.

§. 63.

Bene perspexerunt medici somnum delirantem reficere, hinc ab opio multa commoda aliqui expectarunt, quod et somnum allicere et animi quietem iudicarunt.

Sed multum de laude huius remedii detrahendum, quin plane reiiciendum esse, ratio aequae ac experientia suadet,

Est

x) l. f. c.



Est quidem delirii conditio, quae omni iure opiata sibi vindicat. Est ea quam neruosam supra nominati, namque systematis neruosi resistantiam in morbificas causas firmare, (quae leues admodum sunt, et sensuum aciem vix non semper fugiunt, hinc nullam admittunt medicationem,) tunc medici in votis inprimis esse debet. At de ea in praesentibus sermo non est. Sed quid ad palliativam sanationem conferant exponere, nunc mihi desumo.

## §. 64.

Propiores delirii causas duas proposui, velociorem sanguinis per encephali vasa motum, et varias in praecordiis corruptiones.

Priori a diametro oppositum est opium, quod sanguinem in cerebri vasa pellere millenae observationes testantur.

Nec alteri magis conuenit, cuius curationis ratio eo tota redit, vt primarum viarum euacuationibus, aut arte factis, aut natura molitis, fomes irritans euacuetur. Quod certe ab opio omnes praeter transpirationem euacuationes arcente, frustra expectatur.

Non est etiam, quod somni narcotica insecuti magnum faciamus, si vnumquam talem eorum usum in-



sequi verum sit, cui multorum haud mediocrium in arte virorum asserta repugnant *y*).

Insomnis namque terrificis, paucibus et aliis acrimnis eum intermixtum esse omnes consentiunt, nec reficere aegrum, nec minus vt antea delirantem relinquere.

Vndenam quid ad mentem componendum possit perspectum iri confido.

§. 66.

Abfit ideo opium quamdiu materialis subest delirii causa. Ad duodecimum diem et serius eius usum reposuit ill. *SYDENHAM Z*). Interim ex fideli atque idoneo plurimarum obseruationum complexu, rem ipsam certissimam esse pronuncio. Laudanum vel alia quaeuis narcotica in principio, augmento, vel statu huius febris, ad symptomata hoc leuandum (delirium nempe,) vel non prodesse omnino, vel quod saepius accidit obesse etiam. Verum in eiusdem morbi declinatione iisdem moderata dosi adhibitis non sine successu vsurpauit.

Ita effatur vir ille in obseruandis morbis sagacissimus, cui saniores omnes libenter assentiuntur.

Ideo

*y*) vid. *TRALLE*s de usu opii Sect. II. p. 104. apparatus. med. vol. II. p. 247.

*z*) in descr. feb. cont. an. 1661. 62. p. 82.



Ideo tunc tandem narcotica adhibeas, cum priua magis fenfilitate, quam alieno irritamento mentis integritas turbetur.

§. 67.

Ad palliativa remedia opiatif longe praeflantiora, ea omnia adhuc numero, quae humorum impetum a cerebro deducunt.

Satis quidem notum habeo, iis radicalem delirii curationem peragi, eius inprimis quod velociori fan- guinis in cerebri vafis motui proxime debetur.

Neque minus tamen eum ad omnia deliria impe- tus ille fe adiungat, hoc fedando partem curationis abfoluunt. Erfi quod ad cauffas eorum attinet longe alia requirantur confilia.

Eorum vero vltiorem enarrationem, ad defcri- ptionem inflammatorii delirii curationis fepono.

§. 68.

Quae hucusque propofui, acutis deliriis omnibus communia funt.

Longe alia vero radicalis curationis ratio eft.

In fingulis ifta differt, et qui eam exaefte perfe- qui vult, de febris et omnibus et fingulis, earum-



que diuersis stadiis agere sibi desumit; vt monuit ill.  
STOLL *a*).

Quod vero negotium meis viribus maius esse iustius, quam vir ille dicere posse existimo. Hinc generaliora saltim proferam ordinem caussarum, quam supra stabiliui infecuturus.

### CVRATIO DELIRII INFLAMMATORII.

#### §. 69.

Multum inter medicos disputatum est, an sanguis phreniticis mittendus sit nec se. ASCLEPIADES perinde esse dicit ac si trucidentur *b*), nec ei fauet ARETAEVS *c*). Cum alii contra ad animi deliquium vsque sanguinem mittere velint.

Neotericos aequae dissentire inuenies. Qui omne delirium primarum viarum colluuei adscribunt venae sectionem prohibent, aut ea veluti palliatiuo remedio, vt euacuantibus concedatur locus vti volunt.

Qui iterum opinione saepius cerebrum inflammari arbitrantur, vix non vbique eam admittunt, vbi  
mens

*a*) rat. med. T. III. p. 243.

*b*) CELSVS l. f. c.

*c*) de iur. acad. l. f. c.



mens febrientis non constat, et vnicum exinde expectant solatium.

## §. 70.

Diffensus vero ille mihi facili negotio explanari posse videtur, modo ad caussarum delirii diuersitatem respiciamus.

Si vmquam aliud, inflammatorium illud venae sectionem non admittit modo, sed postulat omnino.

Quod bene iam perspexit AETIVS *d*). Si facies rubicunda inquit, et aetas vigena, et bona corporis habitudo adest, et omnia signa insimul indicant sanguinis copiam, vena secetur et pro viribus detrahatur.

Larga ideo manu sanguinem educas, quam primum determinationibus modo expositis eius impetum in culpa esse percipies. Ex amplo insimul vulnere; tanto praestantior namque erit reuulsio, quae hic totum curationis opus absoluit.

Nec topicas sanguinis emissiones negligas, hircinum et cucurbitularum applicationem; quam et in temporalibus et iugularibus vasis alii institui volunt, si vmquam ob summam vim qua delirantes corpus exercent locum habere possint.

## §. 71.

*d*) tetrab. II. ferm. II. cap. II. p. 266.



## §. 71.

Sunt praeterea bene multa consilia, quae huc adhuc pertinent. Quae vero antequam exponam, monendum est: esse deliria ad inflammatoria reuera numeranda, neque minus tamen largiorem quamcumque sanguinis emissionem aegre ferentia. Talia a SYDENHAMO *e)* observata sunt, eorum mentionem etiam fecit ill. SWIETEN *f)*, atque aliis remediis, venae sectione minus debilitantibus, aequae tamen ad arcendas circulationis turbas efficacibus, iis occurrendum esse inculcat.

Inter ista vero, quae huic substitui possunt, et nullo in delirio negligenda sunt, frigidum regimen inprimis laudibus celebrari mereatur. Saepius phreniticos lecto incarceratos pessime furentes, vidimus placidos penitus redditos erecto corpore modice tantum vestibus tecto in sedili sedentes *g)*. Tantum frigidi regiminis fecit ill. SYDENHAM *h)*, ut in phrenitide variolis superueniente morte iam ostia pulsante omne exinde expectauerit solatium.

Non minus etiam conuenit, deafo capiti actu frigida imponere, plus ipsis narcoticis in arcendis vigiliis laudan-

*e)* in desc. feb. cont. an. 1673. 74. p. 280. sched. mon. de nou. feb. ing. p. 660.

*f)* Comm. in aph. B. §. 782.

*g)* SWIET. Comm. in aph. B. §. 781.

*h)* in desc. variol. regul. an. 1667. 68. p. 194.



laudanda *l*). Neque negligenda sunt pedum balnea et fomenta, ex aqua in qua herbae emollientes maduerunt, aut ad PRINGLEI *k*) mentem ex aqua set acetolaneis pannis applicanda. Nam omnibus istis capitis vasa aut firmantur, aut laxantur ea aliarum partium, quorsum ideo maior humorum copia ducitur, et ab encephalo fit reuulsio. Idem etiam sinapismi et lenis interiorum frictio praestat, hac tamen adhibita cautela, ne iritando nimis magis adhuc orgasmum humorum augeant, hinc nisi topica quaedam inflammatio praeprimis in culpa esset, vesicantia inuitus admitterem.

Inuat praeterea ad eundem finem inuestigare, num forsan debita aut assueta excretio suppressa sit hancque reuocare. Haemorrhoidum aut mensium volo, mirum namque est, quoties hac via capitis morbi oriantur, cephalalgiae vertigines deliria, ipsa apoplexia atque chronici pertinacissimi, istis non nisi restitutis leuandi.

Quod vero frustra calidis et pellentibus remediis tentabis. Sat sit tibi naturae viam monstrare, laxare istos locos, et leniter irritando sanguinis circulum eo inuitare.

Nec

*l*) SYDENE. l. f. c. CELSVS lib. III. Cap. 18.

*k*) l. f. c. p. 157.



Nec incongruum erit narium haemorrhagiam, si forte infer, aptis consiliis promouere.

Satis notum est, cerebri vasa proxime exinde depleri, et firmiter iudicari phrenitidem.

§. 72.

Haecenus de reuellentibus externis mihi sermo fuit, quibus interna remedia bene multa adiungi possunt, alia via aliaque ratione praeterea delirantibus adhuc congrua.

Clismatum mentionem primo iniiciam, omnis si abest cruditatum suspicio ex emollientibus saltem sint, ingerantur vero saepius et omni hora si fieri potest, spasmos soluunt, intestinorum vasa distendunt, circulationem ideo faciliorem et liberiores reddunt. Ad secundas vias translata diathesin sanguinis phlogisticam corrigunt, irritamentum insimul, si quod forte praesens diluunt, et ad euacuationem aptius afficiunt, hinc alterum clismatum commodum, quod efficacius tum demum redditur, cum ex laxantibus pharmacis aliquod iis iungas, neutiquam tamen exaestuantes.

Nec euacuantia per os seponas, nimis arte namque corporis negotia inter se coniuncta sunt, quam ut canalem alimentarem a sordibus vacuum mansurum esse credere quis posset, dum interim tota humorum massa summa phlogosi ardet. Hic vero salia media in-  
pri-



primis conueniunt, et reliqua quae praeter stimulum quem intestinis inferunt humorum exaestuationem et rapidiorem sedant motum.

Potus multus praeterea deliranti concedatur, siccitas summa et humorum spissitudo, vt omnium morborum inflammatoriorum ita et delirii huius partem essentialem constituit, et huic occurrere non alienum est. Praeter alia multa, quae huic negotio inferuire possunt ad aegri palatum magis, quam ad artis regulas componenda, optimo consilio infusa theiformia ex floribus chamomillae laudantur, vtpote quae in resoluedis spasmis omnibus aliis praecellunt. Victus tandem sit tenuis deobstruens atque sedans *l*), et vt optime monuit CELSVS *m*), nec replendus est aeger ne insaniat, nec ieiunio vtique vexandus est, ne in cardiacam incidat.

### CVRATIO DELIRII EX PRAECORDIIS.

#### §. 73.

Totam curationis rationem huius delirii eo redire, vt irritamentum in praecordiis haerens remoueat, aliquo loco iam dictum est. Euacuantia ideo primarum viarum, primum hic certe merentur locum.

Non

*l*) BOERH. aph. §. 702.

*m*) l. f. c.



Non vero perinde esse credas quibusnam utamur, an emetica aut aluum ducente medicina; sed naturae voluntas exacte consultanda est, et vbi vergit materies eoducenda.

Purgantibus vtut antiphlogisticis dicit illust. STOLL *n*), morbos euidenter saburrales efferari vidi, atque intendi non raro, quos emesis si ex similibus et quam plurimis casibus iudicium formare liceat repente fustulisset. Attamen id etiam obseruari pergit febres quasdam alias aequae ex ventris infimi saburra natas, mihi pharmaco aluum pluribus diebus mouente fuisse sublatas.

Signa turgescientiae bene ideo tenenda sunt, et vbi nauseae, vomitiones, lingua impura et fapor corruptus, in ipso ventriculo et adiacente duodeno caecochilium laeessentem nidulari indicant, emesin cum emolumento mouebis. Sin vero profundius in intestinorum canali eius esse sedem, suis ex signis perspicias, laxantibus et clismatibus eam educere contentus sis.

Est vetus medicorum querela magnis euacuantium praebis in mente motis opus esse *o*), sufflamnatur quasi intestinorum irritabilitas, et conuetuae alias dosi non amplius obediunt. Rei huius ratio mihi imprimis

*n*) rat. med. T. III. p. 197.

*o*) de MEYSERREY medicine des armees. tom. II. p. 158.



primis in spastice contractis eorundem fibris sita esse videtur, et optime certe praecauetur cum euacuantibus, antispastica praemittantur aut iungantur etiam. Non vero difficili adeo compositione hunc in finem opus est. Ipecacuanhae rad. aut tart. emet. paruae doses non multum inter se distante tempore exhibitae huic negotio optime inserviunt, relaxant fibras sordes mobiles reddunt, et largiori paululum quantitate ingestae, euacuationem largam et leuantem efficiunt. Nec omni modo consilium eorum spernendum est, qui in calido balneo phreniticum immergi, et vomitum ibi moueri volunt. Non est, quod timeas laxatis cutis spiraculis, euacuationem per os aegrius succedere, contrarium potius accidit, quod millenae obseruationes testantur.

## §. 74.

Saepius vero diu in vsu soluentium persistendum est, namque fordibus latentibus delirantes non raro laborant. Eas adesse coniectura saltim consequi poteris, ex repetitione febris, lingua non omni modo pura, pulsu paruo et duro, atque hypochondriorum duritie. Cui vltimo vero signo caueas, ne nimium in praedicendis fordibus fideas, exinde enim suspicio visceris cuiusdam interni inflammationis saepius enascitur et, pessime certe consulitur aegroti, qui sub tali conditione, ad euacuantia inprimis emetica confugit.

Cum vero inflammationem nullam subesse certus sis, et in plicis ac gyris intestinorum spastice retineri  
 impu-



impuritates, aut mucī crassi ope adglutinari non improbabili coniectura conicias. Optimo cum successu digestiua remedia, sal ammoniacum, tartarum tartarificatum, et similia adhibebis, et vt eorum efficacia augeatur adhuc, abdomini vnguenta emollientia illinire, atque similia iniicere curabis clismata.

Quodsi denique hac via mobilis reddatur materies, indicationi sursum vel deorsum euacuandi satisfaciendum erit.

## §. 75.

Nullis insimul terminis, vt in acutis omnibus ita et in phrenitide euacuantium vsus circumscribitur. Optimum certe est, quae mouenda sunt primis morbi diebus mouere. Sed et seriori euacuanti non deerit efficacia, in eius delirii curatione inprimis, quod progenies corruptae cuiusdam materiei est, metastice quasi ex humorum massa ad praecordia translatae, vt in putridis febribus, contagiosis, et similibus et veri simillimum esse videtur. Hic certe conuenit laceffentem colluuiem per omnem morbi decursum iterum iterumque subnascentem, praeter deliria varia alia mala proferentem aptis et repetitis euacuantibus educere.

## §. 76.

Nec est etiam, quod vires non amplius ad serius quoddam exhibendum euacuans sufficere vrgeas, nisi  
fym-



symptomata lethalia ab ill. BRENDelio *p*) ad mentem HIPPOCRATIS satis exacte expofita iam inftent.

Tantum abeft, vir ille effatur *q*), vt ferius paulo quoddam ipecacuanhae praebium vires frangat, vt addere potius videatur. Nam et deliria fi non quiefcant, minuuntur tamen, magisque recreatus aeger apparet, fi vel aluus falim inde foluta fuerit. Et alio loco *r*), praefentibus iam peffimis fignis, aut nihil profus agere euacuans, quia vis neruorum ventriculi iam delera eft; aut vno alteroque in vomitum molimine, inanem potius et malignam fpem refocillare, quam quod reliquum vitae eft extinguere, inculcat.

Virium ideo defectus, rarius euacuantium vfui repugnat; fuppreffas eas faepius, quam deficientes videbis, ab euacuantibus mox excitatas.

Quodfi vero reuera tantus fit ille, vt ob fummam inteftinorum atoniam, et languentem vim vitalem, aut plane nihil emoueat, quod faepius fit, aut infipidum falim aliquid, aegrum non reficiens, fed debilitans potius, atque delirium cum reliquis phaenomenis vna tamen permaneat: omnino opus erit vitali indicationi confulere, euacuantibusque roborantem medicinam iungere, quout ad expellendas fordes efficaciora euadant inteftina.

Salia

*p*) in diff. de fer. euac. vf.

*q*) l. c. p. 4.

*r*) l. c. p. 25.



Salia mediâ in decocto corticis peruuiani soluta huic negotio optime inseruiunt, atque rhabarbarina, quae in parua inprimis quantitate eximium roborantem effectum edunt.

Quamdiu vero in vsu euacuantium persistere opus sit, et ipsum delirium et reliqua symptomata indicant.

Vtlerius iis non vtendum esse scias cum aegrum mentis compotem reddi, foeces a naturali conditione propius recedere, nec amplius mephiticum istum odorem spargere, atque bilis illud vitium hic inprimis culpandum cum sanitate in gratiam rediisse percipias.

Pari modo ab eorum vsu recedere, ineluctabile fatum praefagentibus signis iam praesentibus consulere est, ne temeritatis suspicio tibi veniat, atque eum quem seruare non poteris iugulasse videaris.

Tandem silentio omnino praeterire non est, varias cautelas circa praecordiorum vitia ad excitandum delirium apta adhuc requiri. Cum alia non nisi sub debita circumspectione euacuantium vsum admittant, et exactissimum censum postulent, alia iterum citissime iis vi indicent. Quarum vltiorem vero enarrationem, limites scripto huic academico dicatae, negligere postulant.

§. 77.

Quod supra in determinando V. S. in phrenitide vsu seposui filum, resumere hic liceat. In vniuersum delirio



delirio ex praecordiis sanguinis missionem non conuenire satis exacte affirmari potest.

Primo mobilitatem systematis neruosi auget, hinc morbis qui consensui neruoso debentur, quorum e tribu illud est certe non prodest. Sed alia praeterea via adhuc nocet.

Depletis nempe maioribus vasis materies aliena faciliori negotio per omnem eorum ambitum euagari potest, variaque mala proferre, quae a plenitudine praecauerentur.

Hoc assertum optimorum practicorum obseruatis respondet; ill. *TISSOT*\*) V. S. vix vumquam proficuum nominat in biliosis morbis, at vero delirium inde augeri, aut quod antea numquam adfuit incidere vidit, ill. *STOLL* †) etiam delirium, a bilis irritatione exortum sanguinis emissioné in furorem transiisse obseruauit, et plures quorum sententias ill. *SCHROEDER* ‡) et *TISSOT* †) satis exacte colligerunt, idem affirmant.

Neque minus vero certis sub cautionibus et hic iterum sanguinis emissiones bona praestare valent, quae enarrare non alienum erit.

E 2

Primo

\*) de feb. bil.

‡) rat. med. T. III. p. 180.

†) diss. de V. S. in febr. inst. praecip. cant.

†) l. f. c.



Primo saepius cum imperu in cerebralia vasa delirium illud incedit, ut omnino effectibus prius quam causis occurrendum sit.

Hic sanguinem ideo emittere antequam ad primarum viarum euacuantia imprimis emetica confugiamus consultius certe erit; ne nimia encephali vasorum distensione ab emesi insequenda, grauiora mala quinimo repentina mors oriatur. Hac via insimul spatium circulationis liberatur, et aliis remediis causam propius tangentibus, eo efficacius ut agere possint, locus conceditur. Secundo vero ipsarum sordium exitum non raro faciliat V. S. Spasitice istas saepius retineri, et nisi mobiles antea reddita, omnem euacuantium efficaciam eludere supra dictum est. Quoties vero spasmodum causam valorum nimia plenitudo sistat, exercitati non nesciunt. Vbi sanguinis detractiones et euacuantia simul indicantur, aliquo loco effatur ill. KLEGHORN optimo cum successu primo V. S. instituitur. His sub conditionibus mixtis non raro accidit, ut aegri post sanguinis detractionem sponte materiei vitiosae partem per aluum et vomitum eiciant, quod illis saepe maxime conducit multumque leuaminis adfert.

Haec sunt determinationes, quae sanguinis emissiones interdum admittunt, quae vero aliter pessime nocent, non solum naturam in coctione et euacuatione materiei morbidae occupatam turbando; sed insimul corporis vires temere frangendo, quibus non minima certe felicioris cuiusuis morbi exitus spes innititur.



## CVRATIO DELIRII NERVOSI.

## §. 78.

Curationem huius delirii cum nervosae febris curatione conuenire, eius naturam recte perspiciens non dubitabit. Vt ideoe fronte huic occurramus languenti vi vitali consulere, inprimis opus est, euacuantiā vero omnia vitanda sunt, de quorum vsu audiamus ill. SWIETENIVM v).

„Omnes autem illae euacuationes tunc tandem profunt, cum aut nimia sanguinis copia distendantur vasa, vel nimius sanguinis impetus adsit, aut necessaria humorum reuulsio a capite fieri debeat. Dum enim in fine morborum acutorum exhaustis iam per morbum viribus delirium tamen manet, omnia euacuantiā nocent. Pulsus autem paruus et debilis, calor imminutus, collapsa vasa facile docent, a similibus abstinendum esse.”

Eousque rem perducit ill. SAUVAG. vv), vt et clismatum vsum damnet, quia ab eorum euacuatione corpus nimis debilitari timet. Ita etiam de GORTER x) post longam valetudinem debilitatam febrem diu toleratam, aliosque morbos oeconomiae humanae infestos,

v) Comm. in sph. B. §. 702.

vv) l. l. c.

x) l. l. c.



stos, speciem delirii oriri dicit, quae omnia euacuantia respicit, sed roborantibus antisepticis, quae simul aluum seruant laxam, curandam. Non multum ab hac recedere videtur pergit, quae sequitur mensum et lochiorum profluium, aut largas haemorrhagias; medicamentis stomachicis analepticis, roborantibusque curandam.

Hic ideo cardiaca methodus conuenit, hic vinum laudes meretur, inprimis si cum sopore delirium alternet, atque molles et depressi pulsus viribus naturam carere testentur. Hic vesicatoria adhibenda sunt, stimulo suo neruoso systemati communicato optime excitantia, remouenda tamen antequam cuticula in vesiculam attollatur, qua cautela necrosis alias non raro insequens, ob corruptam humorum conditionem fere nunquam absentem, optime praecauetur.

Vbi tandem sensibilitas nimia adest, atque ex viuidiori stimuli cuiusuis perceptione spasmi se immiscent, opiata locum inueniunt, debita adhibenda dosi, scilicet non parca adeo, quam stimulantem potius, quam sopientem effectum exerere satis notum est.

Nollem denique a cardiacorum numero emetica seiuungere, quorum non vnum beneficium id est, vt disserte monet ill. BRENDEL *y*) proluuiem quandam sursum excutere, sed laceffere et excutere torpentes potissimum neruofas partes, vnde videmus si vel nihil vomitorio reddatur, leuatos aegros videri.

Ita



Ita et reliqua hic adhibenda remedia, eo respicere debent omnia, vt laedens illud quodquod fit subigatur, et firmando systematis neruosi resisteniam vincatur tandem.

## §. 79.

Hactenus prolata etsi verissima sint, tunc tandem exacte valent; si genuinum vniquam delirium illud videretur.

Sed ea est eius ratio vt eiusmodi quid rarius contingat. Complicationes quae ob ipsam eius naturam fere numquam desunt, id efficiunt, vt aliorum phaenomenorum ratio, aequae ac neruosi systematis habenda sit.

Omnino igitur interdum sanguinem emittere necessitas postulat, si occasione quadam humores maiori vi in capitis vasa irruant, omnino et aliae simul praesentes a statu naturali aberrationes, aliam sanationem saepius suadent, quae systematis neruosi hancce labem intactam relinquit.

Sed istas differentias exponere meum non est.

Id saltem exinde deducere volo consuetarium circa quodcumque delirium verissimum certe, nullam huius symptomatis curationem ab omnibus partibus absolutam determinari posse, sed aequae differentem eam esse; vt ipse morbus primarius ex quo dependet, differens est.








## ERRATA.

- p. 6. l. 15. declinarent leg: delirarent.  
p. 13. l. 13. sic — si.  
p. 14. l. 9. modum — motum.  
p. 19. l. 16. inquiens — inquite.  
p. 20. l. 7. vafas — vafa.  
p. 24. l. 1. data — dato.  
p. 54. l. 5. quam — quem.  
p. 54. cit. c) de iur. acad. — de cur. acut.  
p. 55. l. 17. quam — quas.  
p. 57. l. 8. interiorum — inferiorum.  
p. 58. l. 23. poffet — poffit.  
p. 60. l. 11. mihi — mti.  
p. 61. l. 23. confultitur — confulit.  
p. 62. l. 17. et — id.  
p. 68. l. 2. respicit — refpuit.
-








W 18  
P. CA







DE  
DELI R I O  
FEBRILI

CONSENSU ATQVE AVCTORITATE

IN

SVMI

D

LIT

